



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Thessalonicensi, & Cardicensi & Sithoniensi Episcopis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

proposito temporalis terrore gladij revocare, celsitudinem tuam rogandam duximus & monendam quatinus hujusmodi homines non foveas vel sustineas, sed corrigas & compescas tamquam salutis propriae contemptores, ipsos ad mandatum Ecclesiae minis & terroribus, monitione non proficiente, reducens. Datum Laterani x. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

ARCHIEPISCOPO
Thessalonicensi, & Cardicensi & Sithoniensi Episcopis.

*Epist. 75.
De restituendis
abbatis &
aliis.
Vide lib. 16.
epist. 98. &
quintam compi-
lationem lib. 1.
tit. 20. c. 1.*

Sicut venerabiles fratres nostri Philippenfis, Sarrenfis, Thessalonicensis, Larissenfis, Atheniensis, Corinthiensis, & Patracensis Archiepiscopi & eorum suffraganei sua nobis relatione monstrant, cum venerabilibus fratribus nostris Thebano & Neopatrenfis Archiepiscopis & dilecto filio Nazarocensi electo dederimus in mandatis ut detentores abbatiarum, monasteriorum, Ecclesiarum, decimarum, & aliarum possessionum pertinentium ad eosdem, tam Latinos quam Græcos, qui jus in eis habere se asserunt patronatus, ad restitutionem dictarum rerum monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellere procurarent & facerent ipsos, humano timore postposito, ab hujusmodi præsumptione cessare, præfati Archiepiscopi & electus mandatum apostolicum exequi non curarunt in eorundem præjudicium & gravamen. Volentes igitur id per vestram sollicitudinem executioni mandari, discretioni vestrae per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus præmissa secundum formam prioris mandati nostri taliter exequi procuretis quòd jamdicti Archiepiscopi & eorum suffraganei super his non cogantur amplius laborare, & vos de virtute obedientiae possitis non immeritò commendari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani x. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

CARDICENSI ET SITHONIENSI
Episcopis, & Archidiacono Davaliensi.

*Epist. 76.
De libertate
testandi in fa-
vorem Eccle-
siarum.
Vide lib. 14.
epist. 131.*

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse quòd carissimus in Christo filius noster Henricus Constantinopolitanus Imperator illustris constitutionem cum suis Baronibus edidit quæ vergit in periculum animarum, & est contraria prorsus ecclesiasticæ libertati, videlicet ut nullus possit de suis possessionibus in vita vel ultimo

testamento aliquid Ecclesie largiri. Cum igitur constitutio hujusmodi tam divinis quam humanis sit legibus inimica, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus ipsam auctoritate nostra decernatis frivolum & inanem & penitus non servandam. Datum Laterani x. Kalend. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

ARCHIEPISCOPO THEBANO,
& Davaliensi & Zaratoniensi Episcopis.

Venerabilis frater noster Corinthiensis Archiepiscopus proposuit coram nobis quòd cum nobilis vir Theodorus Græcus quondam Dominus Corinthi, de prodicione convictus, castrum de Argos nuper tradiderit, quod tenebat, thesaurus Corinthiensis Ecclesiae, quem illic idem Græcus detulerat, est inventus ibidem; quem nobiles viri Gaufridus Princeps Achaiae, Odo de Rocca, & quidam alij Latini Thebanæ & Corinthiensis diocetum in propriae salutis dispendium detinentes, eidem Ecclesiae restituere contradicunt. Ideoque fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus nobiles supradictos & alios, ut thesaurum ipsum Ecclesiae restituant antedictæ, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione remota cogatis. Testes autem &c. usque testimonium perhibere. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani viii. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO, DECANO, ET
Archidiacono Davaliensibus.

Dilectus filius N. Canonicus domini sepulchri Ierosolymitani, Prior sancti Demetrii Thessalonicensis, sua nobis exposuit questione quòd cum bonæ memoriæ Thebano Archiepiscopo quandam summam pecuniae mutuo concessisset, ac per ipsum duo nobis exameta census nomine destinasset, credita sibi quadam summa pecuniae pro suis agendis apud sedem apostolicam promovendis, quia dictus Archiepiscopus interim subtractus est ab hac luce, sibi de prædictis non extitit satisfactum. Propter quod nobis fuit supplicatum humiliter ab eodem ut venerabilem fratrem nostrum successorem ipsum ad horum redditionem mandarem apostolicis litteris compelli. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis ad præsentiam vestram quos propter

*Epist. 77.
De ditione
Thessalonicensis*

*Epist. 78.
De ditione
Thessalonicensis*